QUAEDAM

DE VICTUS RATIONE

IN MORBORUM CURA

A

JOANNE CAMBRUZZI

EXPOSITA

Ad summos Medicinae honores

IN ANTIQUISSIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE OBTINENDOS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1843

PATRUIS SUIS OPTIMIS DILECTISSIMIS

HUMANITATE ET BENEVOLENTIA

OPTIME MERITIS

TANQUAM ANIMI GRATISSIMI

MONUMENTUM

SPECIMEN HOC INAUGURALE

SACRAT

DEVINCTISSIMUS AUCTOR.

Victus rationes (in morbis) quantum fieri potest cognoscendae, nam non nosse multarum calamitatum res est.

Hipp. lib. VI. *Epid.* sect. VIII.

Oritur homo, et si ab aegris parentibus malo quodam fato procedit, semen morbosarum affectionum secum fert, quae illi molestum imo et intolerandum interdum pretiosum vitae munus efficere possunt. Quin si et sanis parentibus gignitur, ubi in exteriorum rerum conjunctione versetur, nequaquam potentias omnes suae vitae infestas aut repellere omnino, aut sibi subdere valet, adeo ut ipsis cito vel sero devictus non elanguere omnino cogatur. Oritur homo, et quidquid ipsum circumstat, sive aura quam spirat, sive alimenta quibus nutritur, sive ipsa lux quam vivificatur, in causa esse possunt quare in morbum identidem incidat. Si porro omnem vivendi rationem ad naturae leges conformaret homo, ad seros forsitan dies posset incolumis pervenire; quibus posthac, somni suavis ad instar, placida mors finem imponeret; sed cum sociale hominum vinculum, tum etiam prospera sive sinistra fortuna et effrenatae animi cupiditates et insita ejus libido ea quaerendi semper quae placent, quin, utrum noceant nec ne, animadvertat, eum a naturae

regulis transversum egerunt, et cur in dies infelix magis evaderet, causas suppeditarunt. Aegrotat igitur homo, et tunc alienis potissimum opibus indiget, et tunc in medicina praesertim et in iis qui eam profitentur, spem omnem collocat. Quare homo, ubi aeger decumbat, valetudinem suam, si fieri potest, vel levamen saltem malorum quibus opprimitur, jure sibi a medico expostulant. Quicumque igitur divina hujusmodi arte ad pristinam aegris sanitatem restituendam intendunt, nihil horum negligere debent, quae ad propositum finem recte perducunt. Victus porro ratio in morbis, sive uti vocant, diaeta, de qua breviter nunc sermonem instituere aggredior, in causa potissimum est cur homines priori valetudini restituantur. Frustra enim medicus hominem solo vel aptissimorum medicaminum usu pristina sanitate donare sibi persuasum haberet, ubi recte moderatam victus rationem in morbi negligeret.

Si ingenii mei paupertatem, animi facultatum inopiam, mearumque cognitionum tenuitatem tantummodo perpendissem, ab hac odierna luce obeunda, coram vobis, sapientissimi Professores, de rebus medicis disputaturus supersedissem libenter; sed ad officium quo id aggredi jubeor, benignitatis etiam vestrae, solatium accedit. Meos igitur defectus, sapientissimi Professores, humanitas vestra obtegat; ea

inquam humanitas quae mihi salebrosa illa via qua huc perveni vestigia ponenti adfuit semper: vos hujusmodi scriptis veniam concedite, quorum non gloriae adipiscendae cupido, sed officium sulummodo causa fuit.

Nomine victus rationis in morbis non intelligo quidem usum pro varia temporum opportunitate rationabilem omnium organismi animalis modificatorum, sed alimentorum dumtaxat usum ratione innixum in morbis, sive ab iisdem alimentis plus minusve perfectam abstinentiam, quae reapse eo sensu quo generatim sumitur, quam appellant diaetam, constituit. Tunc igitur diaetae poni dicitur aegrotus, cum eum quocumque cibo abstinere jubet medicus. Primae causae quibus abstinentiam austeram copiososque potus praeceperant medici, fuerunt aversatio a cibis, et potus desiderium, quae ambo in morbis reperire saepe-numero est. Insuper abstinentiae utilitatem tunc maxime comperisse visi sunt, cum plurimi, ex eo quod vel hujusmodi naturae impulsui minime paruerunt, vel eum non senserunt omnino, consuetis usi sunt alimentis, atque ita coepit eorum morbus in pejus prolabi. Abstinentiam unam esse ex praecipuis sanationis causis quas medico offert therapeutica, nemo inficiabitur; eam enim praecipiens medicus nonnisi indicationem illam sequitur, quae per se patet. Rationes quibus exactis ante

annis abstinentiam in morbis medici praecipiebant, momentis nequaquam solidis innitebantur, quamvis et utile et prudens praeceptum esset. Cum diversa alimenta concederent, ne cruditatem efficerent, febrimque nutrirent, verebantur. Firmioribus sane argumentis validioribusque theorematibus suffulcitur idea, quam nunc habemus, modi scilicet quo aegrotanti organismo utilitati est abstinentia; ejus enim emolumentum certo certius vel ex stimulorum subductione quibus organica viget efficacia, vel ex quiete digerentibus organis concessa, vel ex ea scientia proficiscitur, qua sane cognoscimus alimenta in aegri stomachum introducta et ad imitationem augendam si adsit, et ad eam si desit provocandam valde conferre. Nec nos latet praeterea abstinentiam ex eo quod animalem organismum iis quas illi quotidie subdimus, substantiis privat, motum omnia organa enutrientem modificare, circulationem laxare, nervosam minuere incitabilitatem, pulmonarem facilem reddere actionem, conservare stomachi requiem cum aequabiliori vitalis actionis divisioni tali pacto faveat, exhaurire secretiones, nostrorum humorum ac sanguinis praesertim massam minuere, quem, si ex pulsuum statu et ex cutis temperie judicare volumus, minus stimulantem reddit. Hujusmodi sunt abstinentiae in organismo effectus, qui tanto majores evadent, quanto abstinentia ipsa erit

perfectior. Cavendum tamen est ne eo ipsa perveniat, ut potionibus aegroti priventur, sine quibus gastro-enteritis exoriri posset. Cum de abstinentia absoluta sermo est, hujus nomine cujuscumque cibi sive solidi, sive liquidi completa privatio intelligenda est, non tamen potus cujusque; ex eo patet abstinentiam, ubi exacte loquamur, numquam esse posse absolutam. Ut porro diaetae effectus quales desiderantur evadant, ne potus aegroto concessus ejus influxui adversetur necessum est, nisi tamen praeter abstinentiam quaedam alia indicatio supplenda sit.

Istiusmodi nunc generalibus de abstinentia notionibus praemissis, ejusque in organismo effectibus rite perpensis, ad eam peculiariter in morbis acutis et in chronicis affectionibus considerandam gradum faciamus, ut inde eruamus quasnam de hoc usu utilitates in ipsarum curatione sibi spondere possit medicus.

Cum abstinentia, ut dixi, ejusmodi sit indicatio quae per se facile sistitur, clare patet, eam nullo modo animadversiones effugere potuisse illorum qui in patientis humanitatis cura omnem operam collocarunt. *Dum morbus in vigore fuerit, tunc tenuissimo victu uti necesse est,* Hippocrates ait, et imperat alibi, *febrienti cibum ne offeras.* Ex quibus sane praeceptis aliisque similibus multis quibus repleta sunt ejus opera, facili negotio concludimus

summum illum medicinae patrem utilem maxime in morbis praesertim acutis abstinentiam existimasse. Medicae artis historiam pervolventi nonnulli medici passim occurrunt, qui affectionum acutarum curriculo abstinentiae emolumenta probare aggressi sunt, sed id nequaquam eo pacto fecerunt quo in praesentiarum fit. Quod ad hanc gravem materiam attinet, remotiorum temporum medici maximam diligentiam adhibebant. Attento oculo aegroti vires prius perpendebant, considerabant mali naturam ac qualitatem, et ex prognosticis hujusmodi signis ipsius morbi durationem praevidebant; hinc aegri vires cum morbi vehementia atque duratione comparantes noverant, utrum aegrotus sine ullo cibo, vel sola contentus potione adhuc degere posset. Verum enimvero quantum ex istis considerationibus sophisticis abstinentiae usus cohiberetur, ecquis est qui non plane videat? Accedit eodem, quod cum tunc temporis medici ex maxima parte falsae doctrinae dogmatibus imbuti essent, hoc panico semper timore obruebantur ne patientes debilitarent, et eo tantum animum intendebant, quomodo scilicet possent aegroto cibos praebere, eum tunc incolumem fore asserentes cum posset ali. At nostris hisce temporibus quibus aetatum progressu etiam lux in medicina aucta est, abstinentiae usus in acutorum morborum cura magis magisque praevaluit. Et re quidem vera

neminem fugit istiusmodi affectiones raro irritatione carere, quae cum quantitate alimentorum vel minima augeatur, satius immo necessarium omnes duxerunt ab iisdem prorsus abstinere. Quapropter morborum acutorum initio absoluta abstinentia non adultis modo, sed et pueris et senibus et infirmis omnibus praecipiatur oportet, dummodo tamen minime ambigua sit irritatio, eoque magis si in ventriculo vel intestinis eveniat. Cum fortis sit irritatio maxime necessaria est abstinentia, quae eo magis severa erit, quanto magis morbus in dies progredietur. Nec objiciant, quosdam esse morbos acutos in quibus enutriri et potibus corroborari debet aegrotus. Morbi illi in quibus potiones infusionesque ac decocta aliqua subministrari possunt aegroto, sunt solummodo morbi remittentes, in dies valde producti. Nec putandum est potuum electionem ad nihilum conferre, dum potus specie tenus innocuus iterati casus periculosi ac mortalis causa saepe ac saepius est. Idem etiam tunc dicendum, cum quamcumque vel tenuissimam potionem, immo et ipsam putam aquam per cochlear datam stomachus phlogosatus rejiciat. Ex quo patet rem valde imprudentem esse, si quis hoc tempore alimenta etiam liquida praecipiat. Immo nullum vel tenue alimentum aegroto praecipiendum, quoad unumquodque symptoma grave omnino non evanescat; quod si et stomachus et intestina affecta

fuerint, magis producenda erit abstinentia, nec concedetur esca nisi postquam irritatio gastrica aut intestinalis prorsus cessaverit. Animalis nutritio et fermentatae potiones etiam leves irritationem et phlogosin angent nisi pathologica conditio in ventriculo sit; et quoties in illo existere inveniatur, tunc maxime periculosum erit eas praecipere; quod quidem periculum eo etiam pervenire poterit, ut patientis vitae timendum sit. Alimenta et id genus potiones nocumento sunt etiam ipsius convalescentie tempore.

In morbis igitur acutis necessaria est austera abstinentia, quae cum ventriculus sit irritatus, erit quoque absoluta.

Enimvero ut in acutis, non tamen semper in chronicis etiam affectionibus ad hanc praestantissimam sanitatis causam confugere medicus potest. Si enim aegrotus austeram abstinentiam certo temporis spatio tolerare valet, ea majori quam ipse morbus illi erit detrimento, si plusquam oportet, protrahatur. Hinc habita hujus rei ratione in medicina minora considerantur in chronicis quam in acutis affectionibus emolumenta, cum e contrario majora immo insuperabilia etiam obstacula in iis sint, quae obviam sunt medico in curativorum mediorum, ex. gr., abstinentiae applicatione et continuatione. Quapropter hoc est maximum sanitati in longae dura-

tionis morbis impedimentum; nec defuit qui minime asserere dubitaverit plurimas ventriculi, pulmonis et intestinorum infirmitates curari posse, si in chronicis morbis tanta perseverantia posset praecipi abstinentia, quanta in acutis praecipitur.

Quod tamen ad victus rationis praescriptionem in chronicis morbis attinet, iisdem semper regulis standum est, habita porro ratione discriminis quod a mali duratione et ab absoluta aegrotantis aliquantum alendi necessitate procedit. Minuenda saltem erit ciborum quantitas, et quam primum fieri poterit ad abstinentiam iterum recurrendum; quae austera etiam fiet, quoties febris accendatur, acceleretur pulsatio, cutis calor crescat, aut uno verbo exacerbationis aut irritationis existentis propagationis symptomata manifestentur. Hinc Hippocratis praeceptum: *In exacerbationibus cibum subtrahere oportet, exhibere enim noxium est.* Quoties porro ex altera parte male enutritus fuerit aeger in hujusmodi morbis, tunc opus erit medico ut salubrium alimentorum electionem illi commendet, et ex adverso austeram abstinentiam, quoties nutritus fuerit nimis, nec non levia et succi plena alimenta sed numero exigua, ubi harum rerum privationem toleraverit. Quod porro pertinet ad ciborum naturam qui ratione habita characteris morbi suppeditandi sunt, necesse est ut medicus perpendat tempora et

effectus etiam jam notos quos in infirmo organismo substantiae produxerint, et ut ita dicam a juvantibus et laedentibus regulam sibi sumat, ut in medicinalium praescriptione usuvenit.

Maximi sane foret momenti animadvertere quinam esse possint effectus nutritionis protractae una tantum substantia adhibita; quo pacto fortasse eo facile devenire possemus, ut plurimae chronicae infirmitates curentur. Verum praeterquam quod nulla mihi voluntas est de hujusmodi negotio dijudicandi, id profecto mearum virium exsuperat tenuitatem.

Quod si in chronicis morbis curandis minime ab abstinentia illae utilitates habentur quae ex ejus usu in acutis affectionibus proficiscuntur, id fortasse propterea accidit, quia haberi in primis non potest ea profunda modificatio quam abstinentia in alteris determinat. Generatim tamen id maxime et nunquam satis commendatur iis qui morbis chronicis afficiuntur, ut quamdiu fieri potest, semper ad abstinentiam confugiant; compertum enim fuit saepenumero varios chronicos morbos per abstinentiam rara constantia adhibitam curatos fuisse.

Victus ratio sive diaeta praecipuam quidem curae palliativae partem efficit, illius inquam curae, quam, in iis affectionibus chronicis incurabilibus quae ab invincibilibus solidorum laesionibus procedunt et organicae appellantur, solent medici adhi-

bere, ut vitam protrahant, vel saltem minus molestam reddant iis infelicibus qui iisdem premuntur. Nec minoris utilitatis est recte moderatus usus alimentorum, et major minorve ipsorum abstinentia in inveteratarum localium affectionum cura; unde Hippocrates ait: *Morbi quicumque ulcerum genere continentur et reliquo corpore supereminent, una cum medicamentis etiam fame curandi sunt.*

Nec ex animadversione, qua nonnulli asserunt seniores corroborantibus indigere ne nimis cito decrescant, et pueros ut dispendio suppleant quod ab eorum rapido incremento provenit, aliquis putet hujusmodi senes et pueros morbis affectos prae adultis nutriendos esse. Stomachus enim pueri adulti stomacho magis sensibilis est; et si alimenta senibus in morbis concederentur ne debiles evaderent, cum austera abstinentia opus esset, profecto in pejus rueret morbus, et dum nimis incaute accendebatur, illa vitae scintilla extingueretur.

Dum igitur clare per se patet nulli esse locum timori in praecipienda vel maxime rigida abstinentia in morbis acutis sthenicis et gravibus, dumque immo eam maximae utilitatis esse intelligitur; nonnulli ex medicis in eam e contrario adducuntur sententiam ut existiment severam abstinentiam debilibus detrimento esse; qua in re tamen hoc tantum cavendum est, ne videlicet hujusmodi homines nimium

longae abstinentiae subjiciantur. Plerosque heu nimium! fefellit opinio morbos scilicet ab atonia proficisci; et istiusmodi hypothesi, quam modo sanior doctrina jure ac merito posthabet, plurimi parum prudentes medici innixi alimenta succo plena in morbis iis praecipiebant qui exterius pallore, macie, et muscularis apparatus infirmitate manifestabantur. Nihilo tamen secius in iis etiam morbis saltem interrupte adhibenda est abstinentia; quin et in iis quae ab alicujus praecipui organi infirmitate procedunt, item praecipienda est, dummodo tamen stomachus forti irritationi obnoxius inveniatur.

Ex quibus omnibus facili negotio deducitur quod medicus debet in morbis ad diaetam confugere, cum saepenumero illa satis sit in gravioribus malis sanandis, cumque leviora, nisi ipsa adhibeatur, graviora saepius damnosaque evadant. Immo quamquam stomachus affectus non esset, experientia id comprobat, opus scilicet digerens et usum alimentorum morbosam organi laesi conditionem augere, ubi is irritetur. Concludamus igitur rationem victus sive diaetam in morbis praecipuam esse eorum sanitatis causam, ideoque eam esse medico ad optimum curae exitum plurimi aestimandam. Utilius igitur erit abstinentiam vel severissimam praecipere, quam ab ejus usu nimis celeriter recedere; qua in re nihil valent praecepta, cum experientia ipsa per se aperte loquatur.